



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis

Marca, Pierre de

Parisiis, 1681

VI. De synodica epistola Illyricianæ habitæ decreto Valentiniani senioris
anno Christi CCCLXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14704

DIATRIBA DE SYNODICA

*epistola Synodi Illyricianæ habitæ decreto
Valentiniani senioris anno Christi CCCLXV.*

IN synodo Illyriciana quæ habitæ fuit decreto Valentiniani senioris, confirmata est antiqua fides de trinitate consubstantiali, eaque de re conscripta est synodica epistola ad Episcopos diocesanos Asianæ, ubi hæreses contrariæ vigebant. Integram epistolam recitat Theodoretus lib. IV. hist. eccles. cap. IX. in qua, post constitutam fidei rationem, commonentur Episcopi de studio quod impendi debet ut sinceræ sanæque fidei constituentur Episcopi, Presbyteri, & Diaconi. At enim quia locus ille variè acceptus est ab interpretibus, qui sententiam non sunt assecuti ob vetus mendum quod in ejus lectione latet, operæ pretium me facturum esse duxi si veram synodi mentem eruere conarer, quæ quanta sit magistratibus civilibus cum episcopatu in tuenda fide communio manifestum faciet. Hæc sunt synodi verba : *ὡς δὲ τούτου χειροφροντες καὶ ὑπόμνησιν ἔχοντες ἐχαράξαμεν τυπὴν ἡμῶν τὸ γράμμα, καὶ ὡς τὸ καθισταμένων ἑπισκόπων, ἢ κατασθέντων συλλειτουργῶν, εἰάν μιν ἦεν ὡς τὸ ἐν τέλει χειροσασμένων ἑπισκόπων ὑγιεῖς.*

εἰδὲ μὴ, ἐξ αὐτῶν ᾧ πρεσβυτείου. ὁμοίως τε ἔ
 πρεσβυτέρους καὶ Διακόνους ἐξ αὐτῶν ᾧ ἱερατικῶς
 πάγματος, ἵνα ὧσιν ἀνεπίληπτοι πανταχόθεν,
 ἔ μὴ ἀπὸ ᾧ βουλομένης ἔ πρεσβυτικῆς δὲ-
 χῆς. Ea sic reddidit Christophorus. *Dum
 hac de re scriberemus ad vos, commonefacti su-
 mus ut in his nostris literis scriberemus etiam de
 Episcoporum, collegarum scilicet nostrorum, in-
 stitutione, ut si quoquo modo fieri queat, è ma-
 gistratibus qui episcopatu functi, probata spec-
 tataque vita fuerunt, cooptentur; sin autem
 tales non reperiantur, è sacerdotum collegio.
 Ad eundem modum tum Presbyteri tum Dia-
 cono de ordine sacerdotali sumantur, ut omni
 ex parte inculpati fiant; minimè verò de curia
 aut militum ductoribus.*

Ioannis verò Langi versio à Frontone
 Ducaō eruditissimo viro recensita in li-
 bro XI. Nicephori cap. XX. ubi hæc sy-
 nodica refertur, hunc locum sic expref-
 sit. *Hac de re quum ad vos hæc literas scri-
 beremus, commonefacere etiam vos volumus
 de creandis vel etiam creatis Episcopis, eorum-
 que administris, ut scilicet legantur ex sanæ
 mentis ἔ doctrinæ qui magistratum episcopalem
 gesserint præfectis, siquidem extent; sin minùs,
 ex ipsis Presbyteris. Consimiliter Presbyteri ἔ
 Diaconi ex ipso sacro clericorum ordine, ut omni
 ex parte irreprehensibiles sint, qui non ex curia
 vel ex militari magistratu sint lecti.*

Interpres uterque, ne versio hiaret si Græca verba prout scripta sunt sequeretur, verbum necessariò supplevit in contextu; ille *cooptentur*, hic *legantur*. quod sanè verbum deest in Græcis. Vnde ut plena sit sententia, & præterea ut vitetur solœcismus, in accusativis illis *ὁμοίως ἡ ἀπεσβυτεγυς* & *ἀγνωόους*, quæ à nullo verbo pendent, & regi debent à verbo communi quod Episcopus quoque complectatur, verbum illud in versione quisque sua addiderunt. Quod sanè demonstrabat illis locum esse corruptum & supplendum in contextu verbum, quod necessariò inferendum erat in versione ut aliquis sensus eliceretur. Quod erit apertius si plenam & sinceram synodicae sententiam exponamus.

Laborabat in Asiana diœcesi hæreticorum tumultibus vexata Nicæna fides: quorum impetus ut faciliùs retundi possent, Ecclesiæ intererat, non solum ut probatæ fidei Episcopi deligerentur, sed etiam qui in usu & actu rerum versati, prudentia civili & animi decocti constantia veteratorum artes eludere & comprimere possent. Itaque ut hoc adjumentum patres consequerentur, existimarunt non scrupulosè servandam veterem regulam, quæ ex solo presbyterio Episco-

pos adlegendos præscribemat, quinimò si fidei sanæ & integræ invenirentur aliqui viri qui magistratu civili functi essent, hos potiùs Episcopos deligendos, deinde, si tales non reperirentur, petendos juxta ordinem antiquum ex corpore presbyterii. Deinde agit epistola de ministris jam constitutis & eorum promotione. Quare Presbyteros & Diaconos ex solo clericorum corpore cooptandos docet; ne scilicet exemplo ejus quod de magistratibus in episcopatum asciscendis singulari jure decernebat, putaret aliquis Presbyteros quoque & Diaconos è laicis probatis adlegendos. Ceterùm adjungit, ne fiant ex iis qui sunt curialium conditionis aut militaris. Hi quidem ab omni clericorum gradu & canonibus & legibus arcebantur, aliquando tamen in cleri gradus inferiores cooptabantur. Severiùs tamen interdictum erat ne hujus conditionis homines, etsi fortè clero ascripti essent, in presbyteratus & diaconatus, multò minùs in episcopatus gradum proveherentur; ne scilicet ab altarium obsequio ipsius Principis jussu in curiam aut in militiam retraherentur cum Ecclesiæ injuria. quod suo tempore accidisse refert Innocentius primus, qui prohibitionem istam decreto suo renovavit.

Quare non dubitamus quin lectio contextus Græci, quæ de constituendis Episcopis, tum etiam de comministris jam constitutis loquitur, sit emendanda & supplenda hoc pacto. *ὡς τὸ καθισταμένων ἐπισκόπων, καὶ συναμειτουργῶν κατασταθέντων, εἰ μὴ εἴην ἢ τὸ τέλος χρησιμοποιῶν ὑγιῆς, ἐπισκόποις καθιστάμεν, εἰ μὴ ἔξ αὐτῶν ἢ παρονομαστῶν ὄντων.* Delendum quippe τὸ ἐπισκόπων, quod interjectum erat inter dictiones *χρησιμοποιῶν* & *ὑγιῆς*, & confictum ex *ἐπισκόποις*, quod sequi debet dictionem *ὑγιῆς*. Trajectio illa & casus permutatio perturbabat omnino hujus loci apertam alioqui sententiam. Ex ea quippe corrupta lectione emergebat absurdus hic sensus quem interpretes amplexi sunt, eligendos nempe probatæ fidei Episcopos *è magistratibus qui episcopatu functi sunt*, ut vertit Christophorus, vel *è prefectis qui magistratum episcopalem gesserint*, ut Langus. Quinam sunt illi *è magistratuum numero qui episcopatu functi*, revocandi sunt ad eandem functionem? Refragatur huic sententiæ mos antiquus & canonum ordo, qui renuntiationem aut desertionem episcopatus non admittebat. Si quis verò suspicetur de illis Episcopis agi qui sedibus pulsi essent ab hæreticis, tunc de constituendis Episcopis, non autem de eligendis, monerent patres. De tuenda fide

laborabant; adeoque de industria Episcoporum constituendorum satagentes, eos priore loco ex iis qui magistratu publico functi essent deligendos monent, tum si tales desint, ex cœtu presbyterii juxta morem antiquum. Ut hæc sententia constaret, delevimus dictionem ἐπισκόπων. Quæ nostra emendatio juvatur lectione illa quam vir eruditissimus Iacobus Sirmondus expressit in editione Theodoreti juxta fidem manuscriptorum codicum à se adornata. Hunc locum sic legit. εὖν μὲν εἶεν ὅτι τὸ ἐν τέλει χρῆσθαι μένων ὕμει. εἰ δὲ μὴ, &c. Sic autem vertit integrum. *Hac de re dum scribimus, subiit animum ut iisdem literis admoneremus etiam de comministis Episcopis creatis vel creandis, siquidem fuerint ex sano probatoque magistratu functis; sin minus, ex cœtu ipso Presbyterorum. similiter autem & Presbyteros & Diaconos ex ipso sumi ordine clericorum, ut omni ex parte sint irreprehensibiles, minimè verò ex curia vel ex imperio militari.* Ex qua interpretatione patet contextum Græcum Sirmondi, etsi emendatum ex parte, nempe in ejecta dictione ἐπισκόπων, corruptum esse dupliciter; primum in voce ὕμει, quæ dativo casu expressa nullum habet commodum sensum. quare retinenda est lectio ceterorum codicum, nempe ὕμεις in plurali. Deinde

abest à contextu verbum quo doceamur eligendos Episcopos priore loco è magistratu functis, vel illis deficientibus, ex presbyterio. Quod verbum suppleri quod debet ut regat accusativos illos in contextu statim positos de Presbyteris & Diaconis. Hoc ultimo loco verbum *sumi* supplevit Sirmondus in versione sua, quod abest à Græco, & restituendum superiore loco, ut monuimus. Sanè locum illum de magistratibus civilibus intelligi etiam rectè posse observat Fronto Ducaus, qui nomine Episcoporum designantur, quo sensu cicero se à Pompeio oræ Campanæ Episcopum delectum scribit. Quæ tamen Episcopi significatio scriptoribus ecclesiasticis est inusitata, & locus ille de magistratibus civilibus intelligi non tantùm potest, ut ille notat, sed intelligi omnino debet.

Non dissimulandus est etiam error in quem interpretes inciderunt: qui quod separatim dicitur in contextu de constituendis Episcopis & de comministis constitutis, in versione miscent, & *collegas* vel etiam *comministros Episcopos* interpretantur, ut Christophorsonus & Sirmondus. Langus quidem distinguit Episcopos ab eorum ministris, sed creandos vel creatos ad utrosque refert, quamvis

in contextu hæc distinguantur. Sanè quin-
dictio συλλειτουργῶν hoc loco ad Presbyte-
ros referri debeat, dubitare non finit hæc
epistola, in qua bis Elpidius Presbyter
συλλειτουργός nuncupatur. Ad cuius nomi-
nis dignitatem Diaconi quoque trahun-
tur; quoniam, ut loquitur Lex Theodo-
siana, *Ecclesia est in Episcopis, & Presbyteris,
& Diaconis.*

Hoc discrimen de constituendis Epif-
copis & de comministis constitutis ex-
pressit antiqua Epiphaniï scholastici ver-
sio in Tripertita historia, qui synodicam
istam refert libro octavo. Qua ex versio-
ne docebimur quoque vetus esse mendum
hujus loci, atque præterea interpretem
illum à synodicæ mente longè abesse, ver-
baque adjecisse quæ defunt in contextu
& sententiæ patrum sunt contraria. Hæc
sunt illius verba. *Ob hoc scribentes & com-
memorantes has literas destinavimus. De Epis-
copis autem constituendis vel comministis jam
constitutis, si permanserint usque ad finem sa-
ni, bene; alioqui ex ipso presbyterio repellan-
tur. Similiter Presbyteros atque Diaconos in
sacerdotali ordine definivimus, ut sint irrepre-
hensibiles undique, & à curia & ab officio mi-
litari.* Non intellexit verba ista, οἱ ἐν τέλει
ῥησάμενοι. Vertit enim, *si permanserint
usque ad finem*, cùm apertè significant, qui

magistratu functi sunt. Addit autem è suo bene, mox verbum *repellantur* contra meritum patrum, dein *definivimus*.

Hunc autem locum ex nostra emendatione sic reddendum putamus. *Hac de re ad vos scribentes quæ monenda habemus, hisce quoque literis nostris expressimus de constituendis Episcopis & de comministris quoque jam constitutis; nempe ut ex iis qui sunt functi magistratu, si sani sint, constituantur Episcopi, similiter, ex ipso presbyterio. Similiter & Presbyteri & Diaconi è sacro clericorum collegio, ut sint omni ex parte inculpati; minime verò de curia vel ex officio militari.*

*EXPLICATIO CANONIS
quinti synodi Constantinopoli habitæ anno
Christi CCCLXXXI.*

TORQUETUR vir eruditissimus Samuel Petitus variarum lectionum lib. III. cap. II. in explicando & emendando canone quinto Concilii Constantinopolitani, cujus hæc sunt verba. *Ἐὶ τὸ μόνου τῆ δυτικῶν, καὶ οὐδὲν ἐν ἀντιοχείᾳ ἀπεδέξαμεθα τοὺς μίαν ὁμολογουῦτας πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος θεότητα.* In controversiam adducitur iste tomus occidentalium. Repudiata etenim Zonaræ & Balsamonis interpretatione, qui de canone fidei in Sardicensi